



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Pius V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

que juris & facti remedia opportuna compellendi, cæteraque in præmissis & circa ea necessaria, & opportuna faciendi & exequendi, plenam & liberam licentiam & facultatem concedere valeatis, vobis similiter indulgemus. Proviso quod pecuniæ alienationibus & distractionibus hujusmodi provenientes, in redemptionem prædictam, & nullos alios usus integrè & bona fide omnino convertantur. Non obstantibus præmissis, ac fere Symmachi, ac Pauli II. de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis revocandis, nec non Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum de una, & in Concilio generali edita, de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Hospitalium, Militiarum, & locorum præfatorum, juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, Ecclesiis, eorumque Præfulibus, Capitulis, Conventibus, Collegiis, Superioribus & Personis, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos ac dictam Sedem, & motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolica Potestatis plenitudine, & consistorialiter, nec non consideratione, intuitu, contemplatione, ad instantiam Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac alias sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibuscumque sententiis & decretis concessis, confirmatis & innovatis, etiam quascumque similes alienationes fieri specialiter & expressè prohibentibus, & quacumque causa pro tempore factas, omnino annullantibus.

Quibus, omnibus etiam pro sufficienti illorum derogatione alias, eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per regulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanens, hac vice duntaxat harum serie specialiter & expressè derogamus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Aut si Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, singularibus personis dicti Cleri communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Quod si omnes in his exequendis nequiveritis interesse, aut aliquem vestrum à Curia Regia abesse contigerit: duo vestrum conjunctim ea nihilominus exequi valeant, vobis etenim, si pro Ecclesiarum utilitate & negotiorum hujusmodi commodiori expeditione opportunum videbitur, ut aliquos Archiepiscopos, seu Episcopos, aut alios Prælatos similiter pietate, & religione præditos cum simili aut limitata potestate, ad præmissa omnia & singula tractanda, & peragenda, loco vestri substituere, & subrogare valeatis, concedimus pariter & indulgemus.

Cæterum ut Status Ecclesiasticus prædictus universus valeat, sicut optamus, in plenitudine virium suarum conservari; omnes & singulos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Capitula, Conventus, & singulares Personas dicti Cleri, quorum Ecclesiæ, Beneficia, & Loca dictam alienationem pro redemptione præmissa patiuntur, de mandato nostro moneatis, ut pro se quisque ita quotannis de proventu Ecclesiasticis compartientes, quam primum commodè fieri poterit, alienata redimere,

aut alia æquè utilia bona immobilia suis hujusmodi Ecclesiis, Beneficiis & Locis comparare curent cum effectu.

Præterea nostro nomine præfatum Carolum Regem hortemini & requiratis, ut pro ejus Pietate & Religione, ac conscientiæ suæ exoneratione majorum suorum, qui Ecclesiam sanctam rectam, Christi que patrimonium usque quaque auctum & illibatum sanctè & fideliter conservaverunt, Ecclesiasticæ indemnitati consulendo, meminerit has Ecclesiasticas jacturas, assignato ipsis Ecclesiis alio æquivalenti reditu, sicut priori edicto suo pollicitus est, & alias condigna satisfactione, ac regia liberalitate sarcire.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub anno Piscatoris, die decima septima Mensis Octobris millesimo quingentesimo sexagesimo quarto. Pontificatus nostri anno quinto.

Cæ. Glorierius.

PIUS QUINTUS.
PONTIFEX CCXXXIX.
ANNO DOMINI MDLXVI.

Pius antea dictus Antonius Chislerius ad Summum Pontificatum evexitur, Vir Religionis, ac pudicitie vindex, recti justique assertor, morum & disciplinæ restaurator, Evangelium S. Joannis in fine Missæ dici mandavit: post alia egregiè patrata, tandem vitam cum morte commutavit anno 1572. à Clemente XI. Sanctorum albo adscriptus (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 189. App.*)

S. Pius Quintus Pontifex Abbatiam Floressiensem, Ordinis Præmonstratensis, in Diocesi Namurcensi, à Prædecessore Pio Quarto destinatam pro dote Episcopatus Namurcensis anno 1566. sub onere annuæ pensionis eximit, eidemque Episcopatu annexit Abbatiam S. Gerardi, seu Broniensem Ordinis S. Benedicti in eadem Diocesi.

I.
Ex Op.
Dipl. Mi-
raei Tom. 2.
pag. 1098.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Æquum reputamus, & rationi consonum, ut ea, quæ de Romani Pontificis Gratia processerunt; licet ejus superveniente obitu Litteræ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum fortiantur effectum.

Dudum siquidem felicitis recordationis Pius Papa Quartus, Prædecessor noster, Provisiones Ecclesiarum, & Monasteriorum omnium tunc vacantium, & in antea vacaturorum, ordinationi, & dispositioni suæ reservavit, decernens ex tunc irritum & inane, si secus quid super his per quoscumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Cumque postmodum Monasterium Sancti Gerardi in Brogues, Ordinis Sancti Benedicti, Namurcensis Diocesis, cui quondam Benedictus Mailly, ipsius Monasterii Abbas, dum viveret, præerat, per obitum dicti Benedicti Abbatis, qui extra Romanam Curiam diem suum clauserat ex-

tremum, vacavisset, & vacaret tunc, nullusque de illius provisione præter eundem Prædecessorem ea vice se introumittere potuisset, siue posset, reservatione & decreto obstitentibus supradictis.

Cumque idem Prædecessor aliàs, postquam piæ Memoriam Paulus Papa Quartus, etiam Prædecessor noster, ex certis rationabilibus tunc expressis causis Ecclesiam Sancti Albani in tunc Oppido Namurcensi, Leodiensis Diocesis, in Cathedrali cum Sede Episcopali, & Capitulari, Mensis, aliisque solitis prærogativis, & insigniis, ac nonnullis ejus Dignitatibus, nec non Canonicatibus, & Præbendis Apostolica Auctoritate erexerat: Ac illi dictum oppidum pro Civitate, & quamplura circumvicina loca à dicta Diocesi ad hunc effectum dismembrata pro sua Diocesi assignaverat, ac dictæ Mensis Episcopali pro ejus dote unum trium millium Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, fructibus, redditibus, & proventibus, per Nuntium suum illuc postmodum mittendum specificandis, & repartendis, ex tunc, prout ex ea die, & è contra, postquam specificatio, & repartitio hujusmodi factæ forent perpetuò:

Ac interim donec illæ fierent, suumque fortirentur effectum, & non ultra, alium mille, & quingentorum Ducatorum similium, redditus annuos per Charissimum in Christo Filium nostrum, tunc suum, Philippum Hispaniarum Regem Catholicum, qui etiam Namurci Comes, & aliarum illi vicinarum inferioris Germaniæ partium Dominus in temporalibus existebat, ex redditibus, quos ipse Philippus Rex ibi percipiebat, de ejusdem Philippi Regis consensu applicaverat.

Et deinde certas dismembrationes Bonorum à Monasteriis & Præposituris, sub ipsa Namurcensi Ecclesia, vel in ejus Diocesi consistentibus pro dote ipsius Ecclesiæ fieri mandaverat.

Volens pium & laudabile Pauli Prædecessoris institutum hujusmodi profectui, dictæque Mensis Episcopali de congrua dote providere, & considerans, quod per dismembrationem Bonorum à Monasteriis hujusmodi cultus monasticus læderetur, per unionem verò alicujus Monasterii eidem Mensis loco dictarum dismembrationum, Episcopus Monasterii sic uniti Curam accuratius gerere, continuis etiam ipsius Philippi Regis præcibus inductus, Monasterium Floressiense, Præmonstratensis Ordinis, olim Leodiensis, nunc verò Namurcensis Diocesis præfatarum, cujus fructus, redditus, & proventus ad quadringentos florenos auri in libris Camerae Apostolicæ taxati reperiebantur.

Ex tunc, prout cum primùm illud per cessum, vel decessum illius tunc Abbatis, etiam apud Sedem Apostolicam, aut aliàs quovis modo vacare contingeret, ac etiam si tunc quovis modo vacaret, nomine, titulo Abbatis, & Dignitate Abbatiali penitus ibi suppressis, eidem Mensis Episcopali de Fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio, dicta auctoritate perpetuò univisset, annexisset, & incorporasset.

Districtiùs inhibendo dilectis Filiis, Conventui dicti Monasterii Floressiensis, ne vacatione illius adveniente ad Abbatis electionem procedere præsumerent, ac ex tunc, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contingeret, irritum & inane decernendo, prout in eorumdem Prædecessorum desuper confectis literis plenius continetur.

Et sicut ipse Philippus Rex eidem Pio, Prædecessori exponi fecerat, postmodum compertum esset, plurima alia tam virorum, quam mulierum Monasteria dicti Præmonstratensis Ordinis extra dictam Namurcensem Diocesim tam in Brabantia,

Clivia, & Gueldria, quam Francia, aliisque locis consentientia visitationi, & correctioni Abbatis pro tempore existentis dicti Monasterii Floressiensis subjacere, visitationemque hujusmodi juxta regularia instituta dicti Præmonstratensis Ordinis per Abbatem, Ordinem ipsum expressè professum, annis singulis fieri debere.

Quam visitationem si dictus Episcopus annuatim facere cogeretur, magna pars temporis in ea peregrinatione sibi in gregis sui periculum terenda esset, nec parva difficultas erga eum, dictum Ordinem non professum, Religiosos visitandi, & corrigendi maneret;

Et si, ut eadem expositio subjungebat, unio, annexio, & incorporatio Monasterii Floressiensis hujusmodi, quæ nondum effectum sortitæ erant, revocarentur, & ipsius Monasterii Floressiensis loco, dictum Monasterium Sancti Gerardi, quod Ordinario loci subesse dignoscatur, dictæ Mensis Episcopali similiter uniretur, annecteretur, & incorporaretur. Ac quoniam Floressiensis, quam Sancti Gerardi Monasteriorum eorumdem fructus, redditus, & proventus uberores existebant, eidem Mensis pensio annua, & perpetua mille Florenorum, viginti Scuderis monetæ illarum partium pro singulo Floreno computatis, valorem quingentorum Ducatorum auri de Camera non excedentium, super fructibus, redditibus, & proventibus Monasterii Floressiensis hujusmodi reservaretur, constitueretur, & assignaretur, ex hoc profectò difficultatibus, & incommodis præfatis obviaretur, ac necessariæ Episcopi Namurcensis pro tempore existentis subventioni commode confuleretur.

Cum dictus Philippus Rex asserens, ipsius Monasterii Sancti Gerardi, & illi forsitan annexorum fructus, redditus, & proventus sexaginta Ducatorum similium, secundum communem æstimationem, valorem annum non excedere, & dein Pio Prædecessori humiliter supplicari fecisset, quatenus priores unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi revocare, cassare, & annullare, ac nomen, titulum & dignitatem Abbatis in eodem Monasterio Sancti Gerardi suppressim, ipsumque Monasterium Mensis Episcopali prædictæ perpetuò unire, annectere, & incorporare:

Nec non fructus, redditus, & proventus Monasterii Sancti Gerardi, ac pensionem mille Florenorum Mensis Episcopali pro dote hujusmodi reservare, constituere, & assignare, ac aliàs in præmissis opportunè providere de Benignitate Apostolica dignaretur,

Præfatus Pius Prædecessor, qui dudum inter alia voluerat, quod perentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annum valorem, secundum æstimationem præfatarum, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis quotum interesset.

Quique ex injuncto sibi Officii Pastoralis debito sollicitæ considerationis aciem extendebat, ut Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium recenter institutarum dotationi, suorumque Præfulum opportunæ subventioni confuleretur, & ut honestis Catholicorum Regum id ab eo expetentium votis gratum præberet assensum, Ministerii sui Partes libenter adhibebat, aliaque super his variè etiam priùs ordinata, si ratio quædam id ipsum suaderet, retractando disponebat, prout locorum, temporum, personarumque qualitate pensata, conspiciebat in Domino salubriter expedire.

Ipsam Philippum Regem à quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris & Pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis,

si quibus quomodolibet innodatus existebat, ad effectum infra scriptorum duntaxat consequendum, absolvens, & absolutum fore censens.

Nec non vires erectionis, & prioris unionis, ac litterarum, aliorumque præmissorum, & inde sequutorum, nec non aliarum dictæ Mensæ factarum unionum, annexionum, & incorporationum tenores, ipsiusque Mensæ Episcopalis fructuum, reddituum, & proventuum verum annum valorem pro expressis habens. Hujusmodi supplicationibus inclinatus, sub data vero quinto decimo Kalendas Decembris, Pontificatus sui anno quinto, unionem, annexionem, & incorporationem, de dicto Monasterio Florentiensi Mensæ Episcopali, sic, ut præmittitur, factas, ac inhibitionem, & decretum, nec non cum omnibus & singulis aliis in eis contentis clausulis desuper confectas litteras præfatas, processusque habitos, & habendos, per easdem, ac inde sequuta quæcumque, auctoritate prædicta revocavit, cassavit, annullavit, & irritavit, ac pro nullis, irritis, & infectis haberi, neque Monasterium Florentiense, ejusque Abbatem, Conventum, Personas, & Bona illis deinceps obnoxia fore, sed ab eis omnino libera, immunia, & expedita in omnibus, & per omnia, ac si nunquam emanassent, remanere decrevit.

Nec non in dicto Monasterio Sancti Gerardi, sive illud præmissis, sive alio quovis modo, quem etiam ex illo quævis generalis reservatio, etiam in Corpore Juris clausa, præterquam per obitum apud Sedem prædictam resulset, idem Pius Prædecessor haberi voluit pro expresso) aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam dicti Benedicti Abbatis, vel cujusvis alterius cessionem, de illius regimine, & administratione in dicta Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & testibus sponte factam, vacaret.

Etiam si tanto tempore vacavisset, quod ejus provilio juxta Lateranensis Statuta Concilii, aut alias Canonicas Sanctiones ad Sedem eandem legitime devoluta existeret, & illa ex quavis causa ad ipsam Sedem specialiter, vel generaliter pertineret, & super eisdem regimine, & administratione inter aliquos, seu de illorum possessorio, vel quasi, molestia (cujus statum idem Pius Prædecessor haberi voluit pro expresso) penderet indecisa, dummodò dicto die quinto decimo Kalendas Decembris eidem Monasterio Sancti Gerardi de Abate provisum canonicè non existeret, nomen & titulum Abbatis, ac Dignitatem Abbatialem eadem Auctoritate penitus suppressit.

Ac illud cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus, jurisdictionibus, & pertinentiis suis Mensæ Episcopali præfata, ita quod deinceps dilecti Filii Conventus dicti Monasterii Sancti Gerardi, & singulares illius personæ Episcopo Namurcensi pro tempore existenti, sicuti Abbati suo in omnibus, & per omnia subessent, eique parerent, & præstarent obedientiam, & reverentiam, prout olim Abbatibus ejusdem Monasterii Sancti Gerardi, qui pro tempore fuerant, præstare tenebantur.

Liceretque eidem Episcopo per se vel alium, seu alios corporalem possessionem, seu quasi, regiminis, & administrationis, ac Bonorum Monasterii Sancti Gerardi hujusmodi propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illiusque fructus, redditus, & proventus in suos, dictæque Mensæ usus, & utilitatem convertere.

Ac omnia & singula Prioratus, Præposituras, Dignitates, Administrationes, Officia, & Beneficia Ecclesiastica, cum Cura, & sine Cura, Sæcularia, & Regularia, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & aliam quamvis dispositionem pro tempore existentis Abbatis dicti Monasterii Sancti Gerardi, communiter vel divisim, quomodolibet spectantia, illorum vacatione pro tempore occurrente, personis idoneis conferre, & de illis etiam providere.

Ac his, quæ ad honestum vitæ usum, & consuetas ejusdem Monasterii Sancti Gerardi elemosynas, ac Divini Cultus in eo, & dictorum ejusdem Conventus conservationem, & sustentationem solitas, consuetas, atque debitas pertinebant, prospicere, cujusvis licentiâ desuper minime requisita, eadem Auctoritate Apostolica etiam perpetuò univit, annexuit, & incorporavit.

Curam Monasterii Sancti Gerardi, ac regimen, & administrationem hujusmodi eidem Episcopo in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, Bonaque, nec non fructus, redditus & proventus Monasterii Sancti Gerardi hujusmodi dictæ Mensæ Episcopali pro illius dote constituendo, & assignando, eidem Conventui in quibusvis aliis in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub Excommunicationis majoris latæ sententiæ, nec non privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, per eos respectivè obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, penis districtius inhibens, ne ipsum Episcopum in præmissis, seu eorum aliquo impedire quoquomodo præsumerent.

Et insuper ipsi Mensæ Episcopali dictam pensionem annuam, & perpetuam mille Florenorum super omnibus & singulis ejusdem Monasterii Florentiensi fructibus, redditibus, & proventibus eidem Mensæ Episcopali, seu pro tempore existenti Episcopo Namurcensi, vel ejus Procuratori, ad id ab eo speciale mandatum habenti, per pro tempore existentem Abbatem, vel Commendatarium dicti Monasterii Florentiensi annis singulis, pro una vero in Domini nostri Jesu Christi proximè futura incipiendo, & pro altera medietatibus ejusdem pensionis in B. Joannis Baptistæ Nativitatum Festivitatibus in Civitate Namurcensi integrè persolvendam, & per dictum Episcopum Namurcensem etiam una cum Ecclesia Namurcensi, ac quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis, per eum ex quibusvis concessionibus, & Dispensationibus Apostolicis quomodolibet pro tempore obtentis;

Nec non aliis pensionibus annuis sibi super quibusvis aliis fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis pro tempore assignatis percipiendam, tunc Abbatis, & Conventus Monasterii Florentiensi hujusmodi ad id tunc expresso accedente consensu, præfata Auctoritate Apostolica reservavit, constituit, & assignavit.

Decernens posteriores, unionem, annexionem, incorporationem, reservationem, constitutionem, & assignationem præfatas, litterasque desuper conficiendas, sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, derogationibus, & moderationibus, vel alterationibus similium vel dissimilium unionum, annexionum, incorporationum, reservationum, constitutionum, & assignationum per eundem Pium, Prædecessorem nostrum, & Sedem præfata sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis pro tempore factis, minime comprehendendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illas suspendi, vel revocari, aut illis derogari contigerit, toties illas in pristinum statum restitutas, & de novo, etiam sub data per ipsum Episcopum Namurcensem eligenda, concessas.

Et ad id, ut sub revocationibus, suspensionibus, & derogationibus hujusmodi minime comprehenderentur, vim Contractus inter Pium Prædecessorem, & Sedem, ac Episcopum Namurcensem, & Abbatem, ac Conventum Monasterii Florentiensi præfatos validè initi, & stipulati obtinere.

Nec non suspensiones, revocationes, & derogationes unionis, annexionis, & incorporationis aliorumque præmissorum, pro nova illorum concessione, & restitutione haberi, & censi debere.

Ac posteriores, annexionem, unionem, incorporationem, reservationem, constitutionem, & assignationem, aliaque præmissa, ac easdem litteras

nullo unquam tempore etiam ad Superiorum dicti Ordinis Sancti Benedicti, vel aliorum instantiam ex quacumque causa revocari, suspendi, alienari, limitari, aut ad juris terminos reduci, seu litteras ipsas de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis ipsius Pii Prædecessoris, aut alio quovis defectu notari non posse.

Nec causam, seu causas, propter quas illæ emanaverant, verificari debere, nec propterea, aut ex eo quod interesse habentes ad id vocati non forent, per subreptionem obtentas præsumi, & viribus carere, sicque per quoscumque Judices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, ut eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nec non pensionem præfatam nullatenus revocari, cassari, aut ad minorem summam reduci posse, ac pro tempore existentem Abbatem, seu Commendatarium Monasterii Florentini hujusmodi ad integram solutionem ipsius pensionis eidem Mensæ, ac pro tempore existenti Episcopo Namurcensi faciendam, juxta reservationis, constitutionis, & assignationis præfatarum tenorem, efficaciter, & perpetuò obligatum fore.

Ac volens, & eadem auctoritate statuens, quod si Abbas, seu Commendatarius Monasterii Florentini hujusmodi in dictis Festivitatibus, vel saltem infra triginta dies illarum singulas immediatè sequentes pensionem præfatam per eum tunc debitam non persolveret cum effectu, lapsis diebus eisdem sententiam Excommunicationis incurreret, à qua, donec Episcopo Namurcensi, vel Procuratori præfato de pensione hujusmodi tunc debita integrè satisfactum, aut alias secum, vel cum dicto Procuratore desuper amicabilem concordatum foret, præterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequiret obtinere.

Si verò per sex menses dictos triginta dies immediatè sequentes sententiam hujusmodi animo sustineret indurato, & tunc effluxis mensibus ipsis, regimine, & administratione Monasterii Florentini hujusmodi perpetuò privatus existeret, ipsum Monasterium vacare censeretur eo ipso; Non obstantibus secundò dicta voluntate sua prædicta, ac Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus à jure permixtis fieri prohibentis, nec non recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi, similiter Prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis Constitutionibus, ac Monasteriorum, & Ordinum præfatorum juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, præfatis Monasteriis, & Ordinibus, eorumque Conventibus, ac Superioribus, Prælatibus & personis sub quibuscumque tenoribus & formis, etiam per modum statuti perpetui, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, vel Imperatoris, ac Regum, & Reginarum contemplatione, etiam consistorialiter, etiam contra uniones hujusmodi per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores suos, ac forsan per eundem Pium Prædecessorem, & Sedem prædictam, etiam ex quibusvis causis, vel aliis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis.

Etiam in illis, ac statutis præfatis caveretur expressè, quod statutis, privilegiis, & indultis ipsis nullatenus, aut non nisi modis & formis inibi contentis derogari posset, & si illis aliter derogari contingeret, derogationes hujusmodi nemini suffragarentur. Quibus omnibus & singulis,

etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, dictus Pius Prædecessor, tenores hujusmodi pro sufficienter expressis habens, illis aliis in suo robore permanens, ea vice duntaxat specialiter & expressè derogavit, contrariis quibuscumque.

Aut si pro tempore existenti Abbati, seu Commendatario Monasterii Florentini hujusmodi quoad præstationem, vel solutionem pensionis alicujus minimè teneretur, & ad id compelli, ac tam illi, quam Conventui, & dilectis Filiis Vallis, & aliis subditis Monasterii Sancti Gerardi hujusmodi, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem esset Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possent per Litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenoribus existerent, per quæ litteris ipsius Pii Prædecessoris, si desuper confectæ fuissent, non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeret quomodolibet, vel differri, aut de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset in eisdem litteris mentio specialis.

Provisò, quòd propter posteriores unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi in dicto Monasterio Sancti Gerardi Divinus Cultus, ac solitus Monachorum, & Ministrorum numerus nullatenus minueretur, sed illius, & ejus Conventus prædictorum congruè supportarentur onera conlucta.

Ne autem de absolute, revocatione, cassatione, annulatione, irritatione, suppressione, posterioribus unionem, annexione, incorporatione, inhibitione, reservatione, constitutione, assignatione, voluntate, derogatione, & decretis prædictis, pro eo, quòd super illis ipsius Pii Prædecessoris, ejus superveniente obitu, litteræ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, ipsique Philippus Rex, & pro tempore existens Episcopus Namurcensis illorum frustrarentur effectu.

Volimus, & similiter Apostolicam Auctoritatem decernimus, quòd absolute, revocatio, cassatio, annullatio, irritatio, suppressio, posteriores unionem, annexio, incorporatio, inhibito, reservatio, constitutio, assignatio, voluntas, derogatio, & decreta Pii Prædecessoris hujusmodi, perinde dicta die, quinto decimo Kalendas Decembris, suum fortiantur effectum, ac si super illis ipsius Pii Prædecessoris litteræ sub ejusdem die data concessæ fuissent, prout superius enarratur.

Quodque presentes litteræ ad probandum plene absolutionem, revocationem, cassationem, annulationem, irritationem, suppressionem, posteriores unionem, annexionem, incorporationem, inhibitionem, reservationem, constitutionem, assignationem, voluntatem, derogationem, & decreta præfata ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Quocirca Venerabili Fratri nostro Episcopo Amnrensi, & dilectis Filiis Decano Ecclesiæ Namurcensis, ac Officiali Namurcensi per Apostolica Scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios presentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Philippi Regis, & Episcopi Namurcensis præfatorum, vel alicujus illorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdemque Episcopo in adipiscenda possessione, seu quasi, regimini, & administrationis, ac Bonorum Monasterii Sancti Gerardi, & annexorum, juriumque, & pertinentiarum prædictorum, Auctoritate Nostra assistentes, faciant ipsi Episcopo à

Conventu obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, nec non à Vassallis, & aliis subditis Monasterii Sancti Gerardi hujusmodi consueta servitia & jura sibi ab eis debita integrè exhiberi, ac de Monasterio Sancti Gerardi, & annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univèrsis integrè responderi, præfentesque litteras, & in eis contenta quæcumque per eos, ad quos spectat, firmiter observari.

Non permittentes Episcopum præfatum, per quoscumque desuper quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel impediri, nec non pensionem præfatam sibi, vel Procuratori præfato, juxta reservationis, constitutionis, assignationis, & decreti præfatorum continentiam, & tenorem integrè persolveri.

Et nihilominùs pro tempore existentem Abbatem, seu Commendatarium Monasterii Florestensis, si illum Excommunicationis Sententiam hujusmodi eis incurrisse constiterit, quoties super hoc pro parte Episcopi Namurcensis prædicti fuerint requisiti, tandiu Dominicis, & aliis festivis diebus in Ecclesiis, dum major inibi populi multitudo ad Divina conveniret, excommunicatum publicè nuntiant, & faciunt ab aliis nuntiari, ac ab omnibus artibus evitari, donec Episcopo, vel Procuratori prædicto de dicta pensione tunc debita fuerit integrè satisfactum, ipseque excommunicatus ab hujusmodi Excommunicationis sententia absolutio beneficium meruerit obtinere, contraditores Auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus omnibus supradictis.

Nulli ergò omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ voluntatis, decreti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quinquagesimo sexagesimo sexto, sexto decimo Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

Subsignatum: Cæs. Glor.

II.
Ex Op.
Dipl. Mi-
rei Tom.
II. pag.
1102.

Dilectis Morinis, suppressione illius Urbis Episcopatum, qui erat in Arthesia anno 1553. Paulus IV. & Pius IV post factam proventum Ecclesiasticorum inter Reges Hispaniæ & Franciæ divisionem ex una medietate crexerant Episcopatus, Iprensis in Flandria, & Audomarensis in Arthesia, Pius V. ex altera medietate erigit tertium Episcopatum Bononiæ in Picardia, cumque constituit Suffraganeum Archiepiscopi Rhenensis: anno 1566.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Divina Majestatis arbitrio super universas Orbis Ecclesias constituti, & tradita Nobis Apostolicæ Potestatis plenitudine, omnes in id mentis nostræ conatus intendimus, ut Fides Catholica, sine qua nemo salutis æternæ viam ingredi potest, etiam novorum (ubicumque usus possit) Præfulum institutione usque quaque integra & illibata permaneat.

Sed ea demum sollicitudo Nos impensius urget, cum veteres hujusmodi Præfulum Sedes, hostilitate prævalente, indignè jacere videntur, nec propriis in locis reparari possunt, ut in aliis accomodatioribus aliæ inde novæ (sicut populorum

salus, & Catholicorum Regum devotio postulat) salubriter ordinentur, ac in eis Pastores idonei deputentur, quorum opera & vigiliis Christiana Religio in suo solido statu valeat feliciter conservari.

Cum igitur postquam inter claræ memoriæ Henricum II. Francorum, ac charissimum in Christo Filium nostrum Philippum Catholicum Hispaniæ Reges conventum fuerit, quoddam olim Civitas Morinensis, prius expugnata & everfa, deinceps non restitueretur: Sed illius Ecclesia Cathedralis, atque Diocesis univèrsa, nec non utriusque Beneficia, proprietates, census, decimæ, jurisdictiones & jura omnia, in duas partes cum beneplacito Sedis Apostolicæ dividerentur: ut scilicet earum altera Franciæ, altera verò inferioris Germaniæ futura esset.

Felicis recordationis Pius Papa IV. Prædecessor noster, ejus rei causa, suppressâ & extinctâ dictâ Morinensi Ecclesiâ, prædictam partem inferiori Germaniæ designatam, partim Iprensi, partim verò Audomarensi, Ecclesiis Cathedralibus, earumque Civitatibus & Diocesis, jam in dicta olim Diocesi Morinensi, & parte inferioris Germaniæ prædictæ, eadem auctoritate instituit, perpetuò assignaverit.

Nos etiam charissimi in Christo filii nostri Caroli Francorum Regis Christianissimi precibus adducti, hoc insigne opus ad Dei Laudem & Ecclesiæ Catholicæ exaltationem absolvere intendentes, habitâ super his cum Fratribus nostris deliberatione maturâ, de illorum consilio, Monasterium B. Mariæ Oppidi Bononiensis, Ordinis S. Augustini, olim prædictæ Morinensis Diocesis, in quo septem vel octo duntaxat Canonici degunt, per obitum quondam Joannis, dum viveret, ipsius Monasterii Abbatis, extra Romanam Curiam ante decennium defuncti, aut aliâ certo modo Abbatis regimine destitutum, & in eo nomen & titulum Abbatis, dignitatisque Abbatialis:

Nec non omnia & singula, Prioratus, Dignitates, Officia, Canonicales Portiones, & loca ejusdem, ac tam in eodem, illiusque Ecclesiæ, quam etiam ab illo dependentibus Prioratibus, cæterisque Beneficiis Ecclesiasticis, Ordinem, Statum, & Essentiam Regulares, remanentibus tamen in ipso Monasterio dictis septem vel octo Canonice in suis habitu & Regula, cum Canonicali portione quoad vixerint, seu donec ad alia hujusmodi Loca Regularia spontè ac canonicè transferant, auctoritate prædictâ tenore præsentium perpetuò supprimimus & extinguimus.

Ac prædictum oppidum, populosum quippe & celebre, agro & annonâ fecundum, commeatuque commodum, in Civitatem, Ecclesiam verò Monasterii hujusmodi, in Cathedralis, deinceps Bononiensem nominandam, sub invocatione ejusdem B. Mariæ, Archiepiscopi Remensis pro tempore existentis Suffraganeam futuram.

Et sub concordatis olim inter Sedem Apostolicam prædictam, & claræ memoriæ Franciscum I. Francorum Regem super nominatione personarum, certis tunc expressis modo & formâ qualificatarum, ad Ecclesias Cathedrales Regni Franciæ pro tempore vacantes, per Regem Franciæ pro tempore existentem, Romano Pontifici faciendâ, initis, comprehensam, quemadmodum olim Ecclesia Morinensis prædicta erat:

Sedemque Episcopalem pro uno Episcopo per dictum Regem Franciæ eidem Pontifici, seu Apostolicæ Sedi, etiam hæc primâ vice, & futuris deinceps temporibus, vigore seu prætextu dictorum Concordatorum nominando, qui illi præsit, & in perfectam Ecclesiæ Cathedralis formam ordinet & redigat: Abbates, Prælatos, & cæteros suæ Diocesis ad Synodum evocet, evellat, destruat,

Ereccio
novæ Ca-
thedralis.

planter, erigat, ædificet, omniaque & singula Officia & Jura Episcopalia habeat & exerceat :

Cum suis Capitulo, Mensa Episcopali, & Capitulari, cæterisque omnibus Cathedralibus & Pontificalibus insigniis, nec non juribus, jurisdictionibus, privilegiis, exemptionibus, prærogativis, honoribus, gratiis, favoribus & indultis realibus, personalibus & mixtis, quibus aliæ illarum partium Ecclesiæ Cathedrales, earumque Præsules, Capita & Personæ quomodocumque utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate & tenore præfatis erigimus & instituiimus.

Ipsique Ecclesiæ sic erectæ, & illius Præsuli prædicto, Boloniam pro Civitate, & partem illam universam olim Diocesis Morinensis, quæ in divisione prædicta Franciæ evenit, cum Decanatus, Parochialibus, & aliis Ecclesiis, ac etiam Monasteriis, Prioratibus & Locis, cum suis Personis Sæcularibus & Regularibus pro Diocesi, nec non utriusque Cives & Incolas Ecclesiasticos, & Laicos, pro Clero & populo perpetuò assignamus.

Cæterum ut ipsa Ecclesia Boloniensis in reliquis suis omnibus partibus perfecta & absoluta sit, unum Decanatum, duos Archidiaconatus, unam Cantoriam, unam Thesaurariam, & unam Pœnitentiarum Dignitates, septemdecim Canonicatus, & septemdecim Præbendas, nec non Capellanas, cæteraque omnia Beneficia & Officia, quæ in dicta olim Ecclesia Morinensi erant, & in ipsa divisione parti Franciæ, ac futuræ Cathedrali Ecclesiæ obtigerunt, eorumque omnium Personas ad dictam Ecclesiam Boloniensem transferimus.

Unio-Præbendarum Duaci & Insulis.

Ac Episcopali Duacensem, & dimidiam Insulensem Præbendas Episcopales nuncupatas; ac tam illi, quam etiam Capitulari Mensis prædictis, nec non Fabricæ dictæ Ecclesiæ Boloniensis, omnia & singula prædia, proprietates, dominia, census, feuda, emphyteotica, decimas & primitias, cæteraque bona, fructus, redditus, jurisdictiones, actiones & jura earum, singulis per eandem partitionem designata.

Ac etiam ad Abbatialem & Conventualem Mensas suppressi Monasterii hujusmodi pertinentia; videlicet quæ Abbatis, ea Episcopali: quæ verò Conventualis Mensæ erant, ac etiam suppressorum Beneficiorum, portionum, & locorum hujusmodi, bona, fructus, jura & actiones, Capitulari, Mensis prædictis:

Præbenda XXI.

Ita tamen, ut dictis Canonicis Regularibus defunctis, vel inde translatis, ut præfertur, quatuor alii Canonicatus & Præbendæ in dicta Ecclesia Boloniensi, ex ipsius Mensæ Conventualis proventibus, pro totidem Canonicis ipsius Ecclesiæ omninò instituantur, determinatusque numerus unius & viginti Canonicatum & Præbendarum esse debeat, uno tamen & unâ certis usibus juxta dictæ divisionis formam assignatis, in perpetuum applicamus & appropriamus.

Nec non collationes, provisiones, præsentationes, & omnimodas alias dispositiones Prioratum, Dignitatum, Personatum, Administrationum, Officiorum, Parochialium, & aliarum Ecclesiarum, nec non Capellarum, Capellaniarum perpetuarum, Hospitalium, cæterorumque omnium & singulorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, nec non præsentationes & electiones ad illa, confirmationes & institutiones in eis, jusque universum conferendi, prout in prædicta divisione specificata, distributa & declarata sunt, ac etiam quondam Episcopi & Capituli, aliarumque Personarum olim Ecclesiæ Morinensis fuerunt.

Præterea illa quæ quondam Abbatis & Conventus supremi Monasterii hujusmodi communiter vel divisim erant, Episcopo & Capitulo, ac universis Personis Ecclesiæ Boloniensis hujusmodi, videlicet, quæ olim Abbatis, deinceps Episcopi, quæ verò Conventus extiterant, posthac Capituli prædictorum esse debeant, etiam in perpetuum concedimus.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, creationis, institutionis, assignationis, translationis, applicationis, approbationis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M D LXXVI. quinto Nonas Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

Confirmatio & Explicatio Decreti S. Concilii Tridentini Sess. XXV. cap. 5. & Constitutionis Periculoso Bonificii VIII. super Clausura Monialium permisso eis necessaria, si inde migrare velint. Casus, quibus eis migratio permitti possit. Quid debeant quæ cum eis in migrando associantur: anno 1566.

III. Ex Memoir. de Clergé de France. Tom. I. pag. 91.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Circa Pastoralis Officii nobis, meritis licet imparibus, desuper commissi curam, quantum nobis ex alto permittitur, invigilantes, assidue ad ea per quæ singulis erroribus, & excessibus obviamur, ac personis quibuslibet, præsertim feminei sexus, virginitatem suam Altissimo voventibus, sub Religionis jugo Christo Salvatore in castitatis holocausto famulari affectantibus, à femita justitiæ & honestatis declinantibus, ne quicquam in eis reperiat in congruum, quod in Regularis ponat honestatis gloria maculam, & Divinam merito possit offendere Majestatem, opportunè succurritur, libenter intendimus, ac in his nostræ vigilantia partes propensius impartimur, prout id in Domino salubriter expedire conspiciamus.

§. 1. Hac igitur perpetuò valicura Constitutione, inherentes etiam Constitutioni felicis recordationis Bonificii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit: Periculoso, & Decretis Concilii Tridentini super clausura Monialium editis, Auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, atque perpetuò decernimus, universas & singulas Moniales, præsertim, atque futuras cujuscumque Religionis, Ordinis, vel Militiarum, etiam Hierosolymitani sint, quæ vel jam receptæ sint, vel in posterum in quibusvis Monasteriis, five domibus recipiuntur, & tacite vel expresse Religionem professæ, etiamsi Conversæ, aut quocumque alio nomine appellentur, etiamsi ex institutis, vel foundationibus earum Regulæ ad clausuram non teneantur, nec unquam in earum Monasteriis, seu domibus etiam ab immemorabili tempore ea servata non fuerit, sub perpetua in suis Monasteriis seu domibus debere de cætero permanere clausura; juxta formam dictæ Constitutionis felicis recordationis Bonificii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit: Periculoso, in Sacro Concilio Tridentino approbatam, & innovatam, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus & innovamus, in omnibus & per omnia, ac illam distictè observari mandamus.

§. 2. Quod si aliquæ Moniales forsitan reperiantur, quæ consuetudine, etiam immemorabili, instituto, vel fundacione Regulæ suæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ resistent, aut quoquo modo reluctentur, Ordinarii, una cum Superioribus earum, omnibus juris & facti remediis compellant easdem tanquam rebelles & incorrigibiles ad præcise subeundum dictam clausuram, & perpetuò observandum.

§. 3. Mulieres quoque quæ Tertiariæ, seu de Pœnitentia dicuntur, cujuscumque fuerint Ordinis in congregacione viventes, si & ipsæ professæ fuerint,

ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram præcisè, ut præmittitur, & ipsæ teneantur. Quod si votum solemne non emiserint, Ordinarii una cum Superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, ut illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem & professionem, eidem clausuræ se subiciant, quod si recusaverint, & aliquæ ex eis inventæ fuerint scandalosè vivere, severissimè puniantur.

§. 4. Cæteris autem omnibus sic absque omissione professionis, & clausura vivere omninò volentibus interdiximus, & perpetuò prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant.

Quod si contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem & decretum aliquas receperint, eas ad sic vivendum omninò inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas decernimus, & nullas, prout etiam præsentis decreto irritas facimus & annullamus.

§. 5. Porro nè Moniales vel Tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maximè in pertinentibus ad illarum victum, pariantur, sed ut eis opportunè consulatur, Auctoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus Ordinariis & Superioribus earum, ut curent colligi fidelium elemosynas per conversas, quæ non sint professe, vel si professe fuerint, sint tamen ætatis annorum quadraginta, & in domibus, extra tamen Monasterium, degant, & non ingrediantur clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus ex earum constitutionibus permisis. Et de earum domibus exire non possint pro hujusmodi elemosynis colligendis nisi de scientia Ordinarii, vel earum Superiorum.

§. 6. Et de cætero nullæ aliæ conversæ professe recipi amplius, etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prælatorum, possint: quòd si adversus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, prout ex tunc nullam, & irritam facimus, & annullamus.

§. 7. Quod si prædicto modo necessitatibus Monialium, & Mulierum Tertiariarum prædictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinariis & Superioribus earum, ut ipsi provideant de aliis personis piis, & Deo devotis, quæ fidelium elemosynas colligant, vel alias eo meliori & commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum Monialium, & Mulierum prædictarum, arbitrio Ordinariorum & Superiorum earundem, & prout eis congruentius expedire videbitur, provideatur, & succurratur. Et ne propter Monialium numerum excessivum clausuræ observatio violetur, inherentes etiam similiter dispositioni dictæ Constitutionis Bonifacii, & Concilii Tridentini Decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinariis districtè inhibendo præcipimus & mandamus, ne plures in earum Monasteriis recipiant & admittant, sive recipi & admitti permittant, quam ex propriis redditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis elemosynis commodè sustentari possint.

§. 8. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, sub obtestatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ, universis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis & Episcopis, quatenus in Civitatibus & Diocæsis propriis, præsentibus nostras litteras publicari faciant, ac in Monasteriis Monialium sibi ordinario jure subiectis, in iis verò quæ ad Romanam mediæ, vel immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ Auctoritate, una cum Superioribus eorundem Monasteriorum clausuram, ut præmittitur, quam primum poterint, servari procurent. Contradictores atque rebelles per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio

brachii sæcularis. Ac ut hoc tam salutare decretum faciliùs observetur, omnes Principes Sæculares, & alios Dominos, & Magistratus temporales requirimus & obsecramus per viscera misericordie Domini nostri Jesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum injungentes, quòd in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & aliis Monialium Superioribus assistant, ac suum favorem & auxilium præstent, ac impedièntes poenis etiam temporalibus afficiant.

§. 9. Præmissis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Statutis & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis, & confirmatis, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, etiam in fundatione, & institutione eisdem Monasteriis, vel Domibus, & Monialibus, sub quibuscumque verborum formis, & clausulis irritantibus, & aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vivabus approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur, pro sufficienter expressis habentes, quoad effectum validitatis nostræ constitutionis tantum derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdicti, aut suspendi non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 10. Per hoc autem in Monasteriis exemptis, Ordinarii Locorum, quoad alia, nullam sibi credant jurisdictionem vel potestatem aliquatenus eis attributam.

§. 11. Volumus autem, quòd præsentibus litteræ ad valvas Basilicæ Beati Petri Apostolorum Principis, & in Cancellaria Nostra, ac acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extravagentes perpetuò valituras conscribantur.

§. 12. Et quia difficile foret, præsentibus ad singula quæcumque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quòd earum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, ac Sigillo alicujus Prælati nunticis, eadem prorsus fides ubicunque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1566. 4. Cal. Junii, Pontificatus nostri anno 1.

Declaratio Superioris Constitutionis: anno 1466.

PIUS EPISCOPUS.

Ad futuram rei memoriam,

DEcori & honestati omnium Sanctimonialium, quarum Jesus Christus Dominus noster Sponsus est, ut in puritate & castitate superædificatæ in ipso feliciter inhabitare valeant, consulentes, ea quæ illarum existimationi detrahere possent, decet Nos consultò summovere.

§. 1. Sane periculo & scandalo plena res est, ac regulari observantiæ vehementer adversatur, Sanctimonialia aliquando parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos, vel cognatos, nec non Monasteria, & alia Filiationes nuncupata, etiam eis subiecta, visitandi, aut infirmitatis causa, aliove prætextu, à Monasteriis exire, & per Sæcularium Personarum domus discurrere, & vagari, quo veluti colore eximum quoque honestatis, & pudicitie decus in discrimen committunt.

IV.
Ex ibid.
pag. 917.

§. 2. Unde Nos malo huic pro nostro Pastoralis Officii debito salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam decreto Sacri Concilii Tridentini de Clausura Monialium disponenti, ac aliis Nostris Litteris super hujusmodi Clausura editis adjicientes, volumus, sancimus, & ordinamus, nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve Monialium, etiam Carthusiensium, Cisterciensium, Sancti Benedicti, & Mendicantium, & quorumcumque aliorum Ordinum, etiam Militiarum, ac Statuum, Graduum & Conditionum, Dignitatum, ac Prae eminentiarum existentium, etiam in Regia vel illustri prospatia ortarum, de cetero etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subsectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione & praetextu, nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis, leprae, aut epidemiae, quae tamen infirmitas, praeter alios Ordinum Superiores, quibus Cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiam praedicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinarium Jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita & expressè in scriptis approbata sit, à Monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus, stare licere. Aliter autem, quam ut praefertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, nec non comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive Laicas, aut Saeculares, vel Ecclesiasticas, consanguineas, vel non, Excommunicationis majoris latae sententiae vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subjacere, à quo praeterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant: & insuper tam ingressas, quam praesidentes, & alios Superiores praedictos eis licentiam hujusmodi concedentes, Dignitatibus, Officiis, & Administrationibus, per eas & eos tunc obtentis, privamus, & illas & illos ad obtenta, & alia impo-
 terum obtinenda inhabiles declaramus.

§. 3. Nec non licentias & facultates, seu indulta & privilegia exeundi à Monasteriis, & extra illa standi, à Nobis, seu alio Romano Pontifice Praedecessore nostro, ac Sedis Apostolicae Nunciis, & Legatis, etiam de Latere, ac majore Poenitentiario, aut Ordinum praedictorum Superioribus, aliisque personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis restitutionibus, praeservativis, mentis attestativis, etiam novam gratiam, & datum concedentibus, aliisque efficacioribus, ac insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, nec non Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium intuitu, & contemplatione, ac instantia, vel alias quomodolibet concessa (quae prorsus abolemus) ac litteras desuper confectas, & in posterum concedendas, & conficiendas, nullas, & invalidas, nulliusque roboris ac momenti fore, nec illas habentibus & habituris suffragari posse.

§. 4. Et ita per quoscumque Judices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiti debere; irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 5. Mandantes universis & singulis Venerabilibus Fratribus Nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis, in virtute Sanctae Obedientiae, & sub obestatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis aeternae, quatenus per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras in Civitatibus & Diocesis propriis quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta, nec non praefatum decretum ipsius Concilii, quod incipit, Bonifacii VIII. dili-

genter & inviolabiliter sub Censuris Ecclesiasticis, aliisque praefatis Poenis, & in eodem decreto contentis, observent, & observari faciant, & procurant. Contradictores quoslibet & rebelles, ac praemissis non parentes, etiam aliis poenis Auctoritate Nostra, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum Ecclesiasticum apponendo: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§. 6. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quoddam interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Aliis Apostolicis Constitutionibus & Juribus, de hujusmodi Clausura disponentibus, nihilominus in suo robore duraturus.

§. 3. Ceterum volumus, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus Praelati munitis, eadem prorsus fides ubique terrarum, tam in judicio, quam extra, adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensa.

Nulli ergo &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1570. Cal. Februarii, Pontificatus nostri anno 5.

Anno à Nativitate Domini 1570. Indictione 13. Die verò 27. Mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Pii, Divina Providentia Pape V. Anno ejus 5. retro scripta Littera Apostolica affixe, & publicata fuerunt Romae, ad valvas Cancellariae Apostolicae, & in acie Campi Flaviae, ut moris est, per Joannem Guercerum, & Christianum de Monte, praebatam Sanctissimi Domini nostri Pape Cursores.

Antonius Clerici, Mag. Curf.

Contra eos, qui ad Sacros Ordines promoventur, sine titulo, praetextu habitus Religiosi & Monasterii, ubi degunt, quamvis nullam regulam sint professi: anno 1568.

V.
Ex ibid.
pag. 97.

PIUS PAPA QUINTUS.

Ad futuram rei memoriam.

ROMANUS Pontifex Sacrorum Conciliorum Auctor, & interpres, illa quae in hujusmodi Conciliis à prudentibus Patribus in Spiritu Sancto legitime congregatis salubriter sancita sunt, pro sui Pastoralis Officii debito, dum aequitas, honestas, & decus suadet, sicuti declarare, & moderari, ita etiam ad alios casus extendere consuevit. Sanè cum non deceat Divino Ministerio ascriptos, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere, in Sacro Tridentino Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps Clericus Saecularis, quamvis alias moribus, scientia & aetate esset idoneus, ad Sacros Ordines promoveretur, nisi prius legitime constaret, cum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficeret, pacificè possidere, vel alias ordinari non posset, nisi juxta decreti ab ipso Concilio desuper editi formam, & tenorem. Cum autem nulla in hujusmodi decreto Religiosorum Clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli (uti molestè accepimus) ceterorum Ordinum Religiosi, seu Canonici, vel Clerici intra claustra Monasteriorum, seu Domorum, more Regularium in communi viventes, qui nunquam, seu nominis ad certum

tempus

tempus professionem emittunt, & ex clauſtro exire, vel dimitti, ad ſæculum redire liberè, & licitè poſſunt, Religionis prætextu absque titulo ſufficientis Beneficii, nec iuxta dicti decreti tenorem ad Sacros Ordines ſe promoveri præſtudent, & à nonnullis Episcopis paſſim promoveantur; atque inde plerumque illud inconueniens eveniat, ut ſic promoti, & à clauſtro exeuntes, & per ſæculum vagantes, vel mendicare, vel ſordidum quaſtum exercere, non ſine ipſorum dedecore, ac Ordinis vilipendio, & quamplurimorum Chriſtiffidelium ſcandalo cogantur. Noſ igitur qui ſingulorum Dei Miſteriorum honorem, & decus (quantum in nobis eſt) ſinceris exoptamus affectibus, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolice poteſtatis plenitudine, hac perpetuè valitura ſanctione, decretum prædictum de Clericis ſæcularibus loquens, ad omnes, & ſingulos, etiam cuiuſcunque Ordinis Clericos Religioſos ſive Sæculares, more religioſorum viuentes in communi, non profeſſos, harum ſerie extendimus, & ampliamus, ac Religioſis, & aliis prædictis non profeſſis, ut ad Sacros Ordines promoveri, nec non omnibus, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Episcopis, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolice habentibus, ut Ordines ipſos huiuſmodi Religioſis perſonis impendere, niſi obſervata forma dicti decreti, Noſ virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ poena interdiciamus, & prohibemus, ac contrafacientes per annum à præſtatione talium Ordinum ipſo jure ſuſpendimus: ſtatuentes, & decernentes promotiones quarumlibet Religioſarum perſonarum prædictarum ad Ordines huiuſmodi contra ipſius decreti Concilii Tridentini formam, etiam cuiuſvis licentiæ illis ab Apoſtolica Sede, vel illarum Superioribus cuiuſcuſque dignitatis, ſtatus, gradus, & præminentia exiſtant, etiamſi Pontificali dignitate fungantur, vel Cardinalatus honore præfulgeant, conceſſa, prætextu factas, executione prædictorum Ordinum omninò carere, nullasque proſus, & irritas exiſtere, ſicque promotas perſonas in Altaris miniſterio miniſtrare non poſſe. Quinimo miniſtrantes, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & aliis gratis Clericis conceſſis omninò privari, & irregularitatis, aliasque in dicto decreto contentas poenas eo ipſo incurrere, à quibus, niſi à Romano Pontifice, vel in mortis articulo, minimè abſolvi poſſint. Non obſtantibus quibuiſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quorumvis, Monafteriorum & Ordinum, etiam juramento & confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, illis illorumque Superioribus & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuiſvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficaciffimis, reſtitutivis & inſolitibus clauſulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi aliàs pro illorum ſufficienti derogatione de illis illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, formas, datas, & decreta in illis impoſita, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis & inferis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuſcunque. Et ut præſentes litteræ ad omnium noticiam perveniant, neve quis illarum ignorantia excuſari poſſit, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, præſentes litteras ad valvas Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cancellariæ Apoſtolice, ac in acie Campi Floræ publicari, & earum exempla aſſigi, & imprimi, illarumque exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici, & Sigillo

Prælati Eccleſiaſtici, vel ejus Curia obſignatis, eandem proſus fidem adhiberi, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo &c. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milieſimo quingentefimo ſexageſimo octavo, Pridie Idus Octobris, Pontificatus noſtri, anno tertio.

Anno à Nativitate Domini Milieſimo, quingentefimo ſexageſimo octavo, Indiſtione undecima, die verò 12. Menſis Novembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini PII, divinâ providentiâ Papæ V. anno tertio, retroſcriptæ Litteræ Apoſtolice aſſixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, Cancellariæ Apoſtolice, & in acie Campi Floræ, dimiſſis in ſuperius expreſſis locis præſentibus Litteris per aliquantum temporis ſpatium aſſixis, & deinde ut moris eſt, amotis per Nos Thomam Callarum & Julium Parinum, prælibati Sanctiſſimi Domini noſtri Pii Papæ V. ac Sanctæ Apoſtolice Sedis Curſores.

Chriſtianus de Monte, Mag. Curſ.

Galliæ Clero conceditur facultas bona temporalia diſtrahendi, uſque ad ſummam centum quinquaginta millium librarum pro Rege Carolo IX. ut Regni neceſſitatibus ſubveniat: anno 1568.

VI.
Ex ibid.
Tom. IV.
pag. 745.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilecto Filio noſtro Carolo Sancti Chryſogoni à Borbonio tituli nuncupato, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbytero Cardinali, ac Venerabilibus Fratribus Michaeli Senententi, & Fabio Gujacenſi Episcopis noſtris, & Apoſtolice Sedis, apud chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Carolum Francorum Regem Chriſtianiſſimum. Nunciis, ac Nicolao Archiepiſcopo Senonenſi Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

GRavi cum animi noſtri moleſtia intelleximus ex dilecto Filio Annibale Auricelario, quem ipſe Carolus Rex ſuperioribus diebus ad Nos miſit, quam afflictæ & exhaustæ ſint facultates ſuæ, totiusque ſui temporalis domini, quantumque huius ærarii opes ob maximas impenſas, quas ad ſedandos & componendos exitioſos periculoſiſſimosque tumultus ab Hugonotis hæreticis, & ſuæ Majeſtati rebellibus in ſuo regno concitatos facere coactus fuit, attrite, & penitus exanimatæ exiſtant, adeo ut pecunias, quibus regnum ipſum ab eiſdem hæreticis & rebellibus tueri ac conſervare poſſit, Fiſci regii rationibus nullo modo valeat comparare.

Quare idem Annibal ejuſdem Regis nomine Nobis humiliter ſupplicavit, ut aliquod opportunum & ſalutare ſubſidium ex bonis Eccleſiaſtici dicti regni ei ſubminiſtrare vellemus. Nos conſiderantes dicti regni ſalutem, & Eccleſiaſtici Ordinis in eo conſervationem in hoc potiſſimum conſiſtere, ut Rex ipſe copias & firma præſidia alere poſſit, quibus dictos Rebelles & hæreticos è ſua ditione expellere, renitentes coercere, vel quoddam malle-mus, errores ſuos recognoſcentes ad ſanitatem fideique Catholice cultum, & obſervantiam revocare valeat: eidem Regi præſentaneum auxilium afferre decrevimus, & cum aliunde non poſſit, ad perſonas Eccleſiaſticas dicti Regni, quamquam inviti, conſugiendum eſſe duximus. Habita igitur ſuper his, ſicut urgens & evidens neceſſitas periculique magnitudo poſtulat, cum nonnullis ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, prudentiâ & rerum agendarum experientiâ præditis, deliberatione matura, Vobis, de quorum eximia & ſingulari fidei integritate, pietate, & æquitatis zelo ſpeciale in Domino fiduciam obtinemus; Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium injungimus ac mandamus,

ut vos conjunctim procedentes, uno vel duobus, aut altero vestrum impeditis, & huic negotio intendere nequeantibus, saltem tres ex vobis omnem faciliorem & commodiorem modum, viam & rationem excogitare, & invenire studeatis, & procuretis, quatenus tot annui redditus, & proventus quorumcumque bonorum immobilium Ecclesiasticorum, etiam feudalium, & jurisdictionalium: ad quascumque etiam Primatiales, Metropolitanas, & Cathedrales, Collegiatas, Parochiales & alias Ecclesias: nec non Monasteria etiam, quae capita Ordinum disantur, ad Capitula, Conventus, eorumque Mensas, Prioratus, Praeposituras, Praepositorum, Praeceptorias, Dignitates etiam majores, & principales Canonicatus, & Praebendas, Personatus, Administrationes, Officia, caeteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura secularia, & Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, Grandimontensis, Fontis-Ebraldi, & quorumcumque aliorum Ordinum regularia, nec non Hospitalia, & Militia, praeterquam Sancti Joannis Hierosolymitani, caeteraque loca Ecclesiastica etiam exempta in dicto regno & Ducatu Britanniae, ac Delphinatu, & provincia Provinciae, caeterisque dominiis, terris, & locis dicto Carolo Regi quomodolibet subiectis consentientia, quovis modo spectantes, & pertinentes, quot singulis annis ad summam centum, & quinquaginta millium Francorum ascendunt, ad tempus vobis bene visum, cum potestate illos redimendi, affrancandi, & liberandi, vendi, concedi, & alienari possint. Quo quidem modo per vos adjuvante Domino invento postmodum redditus, ac proventus hujusmodi quibusvis personis, tam Laicis, quam Clericis, etiam cujusvis Ordinis Regularibus, non tamen de fide Catholica suspectis, illos emere volentibus, pro pretio, seu pretiis repetibili, seu repetibilibus, etiam venditionis, concessionis, & alienationis, seu quovis alio titulo concedendi, assignandi, alienandi, reservata tamen ut praefertur Ecclesiis, Monasteriis, & aliis Beneficiis praefatis, illos intra tempus, de quo vobis expediens esse videbitur: ac etiam quovis alio tempore emptori restituto pretio per fiscum regium, seu per ipsos Ecclesiasticos redimendi & liberandi facultate: nec non super his quacumque instrumenta cum pactis, obligationibus, cautelis & clausulis in similibus apponi solitis faciendi, & celebrandi, ac omnes & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, illis pacifice frui, & gaudere faciendi, nec eos per quoscumque quomodolibet indebitè molestarì, vel perturbari permittendi: Contradictores quoque & rebelles, ac vobis in praemissis non parentes, eisque consilium, auxilium, vel favorem dantes ac praestantes, per Sententias, censuras, ac poenas Ecclesiasticas, & etiam pecuniarias vestro arbitrio moderandas & applicandas, aliaque opportuna juris remedia appellatione postposita compescendi, ac legitimis super his habendis servatis processibus sententias, censuras & poenas praefatas, quoties vobis placuerit, aggravandi, auxilium quoque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, caeteraque omnia, & singula in praemissis & circa necessaria seu quomodolibet opportuna gerendi, mandandi, & exequendi, vobis plenam, liberam & omnimodam facultatem, auctoritatem, & potestatem, auctoritate & tenore praefatis, concedimus, & impartimur. Et nihilominus potiori pro cautela alienationis, venditionis & concessionis fructuum, & reddituum Ecclesiasticorum hujusmodi & instrumenta, quae per vos cum personis praefatis vigore praesentium fieri contigerit: ex nunc prout ex tunc, & è contra, postquam facta fuerint, harum serie approbamus & confirmamus, approbataque, & confirmata fore, & esse volumus, & decernimus, suppletes omnes & singulos, tam juris, quam facti, & quarumcumque solemnitarum, etiam sub-

stantialium in similibus alienationibus rerum Ecclesiasticarum observari debitarum, defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem, ac decernentes alienationes, venditiones & concessionis, aliaque praemissa vigore praesentium, & juxta illarum formam & tenorem faciendam, suam debitam roboris firmitatem obtinere, suosque plenarios effectus fortiri, & per Ecclesias, Monasteria, & alia Beneficia praefata obtinentes, & alios quoscumque ad quos spectat, & imposterum spectabit, inviolabiliter observari debere, nec non tam illa, quam praesentes litteras ex quavis causa de nullitate, aut subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu notari vel impugnari, & Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Abbatissas, aliasque personas, dignitates, & alia beneficia praefata, nunc & pro tempore obtinentes, à praemissis & aliis in vim praesentium per vos faciendis, quovis, etiam enormissima laesionis praetextu, aut ex quacumque alia, etiam justissima causa, quomodolibet appellare seu reclamare, ac illis aliqua privilegia, etiam per Sedem Apostolicam, sub quacumque forma, vel expressione verborum concessa suffragari non posse. Sicque per quoscumque Judices & Commillarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi & interpretandi facultate & auctoritate judicari, defini & interpretari debere: nec non irritum & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, cum scientia vel ignorantia, contigerit attentari. Non obstantibus Litteris, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & praesertim Symmachii, & Pauli II. ac Pauli IV. & aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, in Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitarum, Ordinum & aliorum Beneficiorum praedictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & Litteris Apostolicis illis, & ea quomodolibet obtinentibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque fortioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & de Apostolica potestatis plenitudine, ac consistorialiter, aut in vim initi, & stipulati contractus inter ipsos, & Sedem praefatam, vel alias quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis & innovatis, etiam disponentibus, quod illis non nisi certis in eis expressis modo & forma observatis derogari non possit, & aliter facta derogationes nemini suffragari debeant: vel etiam de illis specialis, specifica & individua mentio, seu quavis alia expressio habenda esset. Quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissio inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque; Aut si Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Abbatibus, Commendatariis, Abbatissis, & aliis supra dictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, atque etiam per praesentes decernimus, ut venditiones, concessionis & alienationes praefatae per vos in vim praesentium faciendae, in personas haereticorum nullo modo fiant, neque fieri debeant: quodque Ecclesiae, Monasteria, & alia Beneficia praefata adeo non graventur, ut divinus cultus in

eis manuteneri non valeat. Præterea quod pecuniæ ex hujusmodi venditionibus, concessionibus & alienationibus nisi in dicti Caroli Regis, sui que regni, & Catholice Religionis defensionem, nec in alios usus exponi omnino debeant, ipsæque pecuniæ interim penes personam fide & facultatis idoneam per vos eligendam, ac deputandam, realiter & cum effectu deponantur, quodque vos super his omnibus alia, & alia debite, & opportunè provideatis, prout tibi, frater Episcopo Gajacensis, mentis nostræ voluntatem ac desiderium prævius explicavimus, tibi que super his ab omnibus fidem indubiam adhiberi debere mandamus, & insuper quod præsentium transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo vestro, vel alicujus vestrum munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ injunctionis, concessionis, imperationis, approbationis, confirmationis, mandati, decreti, suppletionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, Calendis Augusti, Pontificatus nostri, anno tertio.

Decernitur, quod in omnibus Provinciis Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci esse debeant duo Conventus pro Fratibus strictioris Observantiæ: an. 1569.

PIUS EPISCOPUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Injunctum nobis desuper Apostolicæ servitutis officium crebrò nos admonet & inducit, ut personis quibuslibet regularibus, vigilantia nostræ partes efficacius exhibentes, eos in institutorum suorum regularium candore salubriter manuteneamus.

§. 1. Accepimus sanè nuper, quod in Ordine S. Francisci de Observantia nonnullæ sunt domus, & Loca, Recollecta nuncupata, in quibus dicti Ordinis Fratres arctiorem quam in cæteris vitam degunt, & propterea eidem Ordini commodum & opportunum esse censentes, ut in singulis dicti Ordinis Provinciis, duæ Domus, & Loca Recollecta hujusmodi existant, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò decernimus, atque statuimus, quod in qualibet Provincia dicti Ordinis duæ ad minus Domus, & Loca Recollecta esse debeant. Et præfata Monasteria Recollecta nullatenus ab hujusmodi recollectione separari possint: Et Fratres in illis degentes etiam si velint (nisi de Ministri Generalis ipsius Ordinis vel Provincialis, & Discretorum Conventuum dictorum Locorum Recollectorum pro tempore existentium consilio) ad alia Loca non recollecta transferri nequeant, nisi eisdem Superioribus, ut aliter fiat, visum fuerit expedire.

§. 2. Decernentes præsentis Litteras, nullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari vel impugnari, aut invalidari nullatenus posse, minusque sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispo-

sitionibus comprehendi ullatenus posse, sicque ab omnibus censi.

§. 3. Et ita per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari debere, irritum quoque & inane, quidquid secus super his, à quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 4. Et nihilominus pro majori præmissorum occasione Venerabili Fratri Episcopo Conchen. & dilectis Filiis Causarum Curie Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac Officiali Toleran. per præsentis committimus, & mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios, præsentis Litteras, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, faciant illas ab omnibus, quos illæ concernunt, inviolabiliter observari, non permittentes aliquid contra præmissa quomodolibet innovari. Contradictores quoslibet, & rebelles per easdem pœnas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

§. 5. Non obstantibus præmissis quibusvis Apostolicis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, ac quibusvis, etiam juramento & confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 6. Cæterum quia difficile foret præsentis Litteras ad singula quæque Loca, ubi expediens foret, deferre, volumus quod illarum transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, in iudicio & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub anno Piscatoris, die nona Martii, Millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Pontificatus nostri, anno quarto.

Adversus Beneficiorum Confidentarios: anno 1569.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Intolerabilis multorum perversitas, qui Sacrosanctas Constitutiones novis quotidie fraudibus cludere nituntur, seque illarum auctores in necessitatem adducit cautius providendi, quò pertinacium animi ab improbis conatibus, graviore sanctione proposita, reprimantur. Bene quidem & prudenter felicis recordationis Pius Papa IV. Prædecessor noster ad tollendam fiduciariæ mancipationis Beneficiorum & Ecclesiasticorum corruptelam statuit, & decrevit, ut ipso jure vacarent Ecclesiæ, Monasteria, cæteraque Beneficia Ecclesiastica in confidentiam à quibuscumque, etiam Sac. Rom. Eccl. Cardinalibus, cujusvis personæ contemplatione, vel intuitu recepta, liberam illorum dispositionem, sibi, & Apostolicæ Sedi reservando: Nec valerent ipsorum collationes, seu concessiones, nec fructuum, nec pensionum reservationes, nec facultates alias transferendi, nec regrediendi, seu accedendi & ingrediendi ad Ecclesias, Monasteria & Beneficia supradicta, illaque recipientes fructus, pensiones, & alias res eorumdem indebitè perciperent. Prohibens quibuscumque, etiam sub cen-

VIII.
Ex Me-
moires,
du Clergé
de France,
Tom. 2.
pag. 436.

furis Ecclesiasticis, ne quid hujusmodi amplius au-
derent. Ac etiam decrevit omnes & quacun-
que provisiones, praefectiones, collationes, commendas,
& alias dispositiones de Ecclesiis, Monasteriis, &
Beneficiis, nec non reservationes fructuum, pensio-
num, rerum & jurium, ac etiam transferendi, re-
grediendi, accedendi, & ingrediendi, aliasque fa-
cultates, sive per se, sive futuros Romanos Pontifi-
ces, etiam motu proprio, ac consistorialiter, sive
etiam per ordinarios Collatores, etiam ad Patrono-
rum praesentationem, cum interventu Confidentiae
hujusmodi, sive expressae, sive occultae, ac de jure
praesumptio, & alias contra praedicta pro tempore
factas, nullius momenti fore, nec cuiquam suffragari,
sed Ecclesias, Monasteria & Beneficia hujus-
modi ipso jure vacare, ac praedictae dispositioni refer-
vata esse, sicque per quoscunque, etiam per praesump-
tiones, conjecturas legitimas, & alias eorum
arbitrio procedendo (cum alioqui Confidentias hu-
jusmodi in lucem erui, & probari non posse constaret)
judicari & defini debere. Nec non irritum,
& inane quidquid fecus contingeret attentari, quem-
admodum confectis super his litteris suis plenius
continetur. Verumtamen propter improbas mul-
torum cupiditates, praedicta, quae ad purgandam
haec pernicie Ecclesiam, & animarum salutem ab
ipso Praedecessore edita sunt, in multis deprehendi-
mus viam aperuisse gravius delinquendi. Siquidem
cum frequentibus plurium querelis pridem
concitati, quod Judices in causis hujusmodi Confi-
dentiarum expediendis remissiores essent, omnes,
& singulas causas ipsas ubicunque, & inter quos-
cumque motas ad Nos advocavissimus, ac omni-
modam hujusmodi causarum praesentium & futu-
rarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium
cognitionem Nobis, & Successoribus nostris refer-
vavissimus, & super quibusdam coram nobis pro-
cessum fuisset, variis inde, aut levibus conjecturis
intelleximus, vitium quidem Confidentiae occulte
irrepisse, sed in plerisque causis praesumptiones, &
conjecturas, quae ad illud probandum deducuntur,
minime sufficere, ejusque rei causam plurimos, qui ante
litterarum praedictarum editionem hujusmodi
Confidentias exercent, ubi cognoverunt obstructam
veritatem propter difficultates probandi in Judicio
Confidentias ipsas contempta Constitutione praedi-
cta, Ecclesias, Monasteria & Beneficia sic recepta,
ut prius retinere, alios fructus, pensiones, & alias
res accipere, alios eorum exemplo ad similia &
graviora fidencius commoveri. Multi etiam ipsa
Beneficia jure retinere nequeunt, alii ne cogantur
ad Sacros Ordines, ad residentiam, ad incedendum
in habitu Clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut
inimicos occidant: alii ut alieno nomine lites agant,
aut defendant; alii propter crimina incapaces, qui-
dam ut purgato delicto, vel absolutione consecuta
illa repetunt, eadem in alios deponunt, & in ple-
risque fructus ipsorum, aut eis ministrantur, aut
quibus ipsi statuunt, saepe laicis & inhabilibus.
Plerique vel senes, vel infirmi, ut Beneficia in do-
mibus suis perpetuent, illa renuntiant & renuntia-
runt in alios, qui vel profanam familiam cedentium
de fructibus Ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum
infantibus, aut nascituris asservent, facto interdum
circuitu retrocessionis, cum reservatione fructuum
& aliarum rerum, aut accessu, praesentium ab illis
qui praestandorum jurium Camerae Apostolicae sunt
immunis, alii aut incapaces, aut aliis Beneficiis
Ecclesiasticis onusti, aut Ecclesiastico Ordini sese
mancipare refugientes, aut merè Laici Beneficia
Ecclesiastica aliis conferenda procurant, ut de illis
postmodum ad libitum suum disponatur, fructus
etiam percipientes illorum. Ad haec plerique Or-
dinarii, & alii Collatores, ac etiam Patroni Laici
curant deponenda Beneficia, ut fructus seu pensio-
nes capiant eorundem, aliisque faciant ministrari:
Alia etiam permulta ejusmodi admittuntur, qui-
bus immaculata rerum divinarum puritas impie
violatur, discipline Ecclesiasticae nervus dirumpi-

tur, & imminens patratum exitum animarum. Qua-
re Nos volentes periculofam talium audaciam novi
juris subsidio cohibere, praesentium auctoritate sta-
tuimus, ut si quis quacunque auctoritate Ecclesiam,
vel Monasterium, aut aliud Beneficium Ecclesiasti-
cum quaecumque ex resignatione, vel cessione cu-
juscumque personae simpliciter, aut cum circuitu
retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam sola
dimittentis intentione receperit, ut illud, vel aliud
etiam in eventum regressus, vel accessus, eidem di-
mittenti, vel alteri postea conferatur; aut illius fru-
ctus, vel eorum pars alii vel aliis concedantur, vel
pensiones solvantur, ex eisdem haec Confidentia cen-
seatur. Item si Ordinarius, vel alius collator con-
tulerit antehac, aut conferat in futurum Benefici-
um Ecclesiasticum quovis modo vacans, ea condi-
tione tacita, vel expressa, ut postea in alterum pro
arbitrio collatoris seu alterius cujuscumque, contra
juris communis ordinationem disponatur, sive ut
de eo provivus fructus illius, vel partem ad utili-
tatem vel libitum conferentis, vel cedentis, aut al-
terius relinquat & remittat, seu pensionem illi, vel
illis, quem vel quos, idem collator, aut cedens, vel
alius per se, vel alius scripto, aut verbo jussit seu
significaverit, perfolvat, & pariter si Patrono etiam
laico, vel altero praesentatori, seu electori contigerit,
vel contingat id fieri. Ad haec si Clericus praedictae
Camerae, aut Cardinalis, aut alius a solutione Ju-
rii ipsius Camerae, vel etiam Cancellariae Aposto-
licae exemptus, post resignationem, vel cessionem
alicujus extranei, de Ecclesia, Monasterio, vel alio
Beneficio Ecclesiastico in se, Apostolica, vel alia au-
thoritate factam & admittam, illam vel illud etiam
confectis litteris Apostolicis & possessione appre-
hensa, in eundem resignantem, vel cedentem, mo-
dico spatio interjecto, veluti duorum aut trium
mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum,
& ex illa retrocessione fructus Ecclesiae, seu Mona-
sterii, aut Beneficii, vel eorum pars seu pensio, seu
quid aliud super illis reservatum, aut regressus, seu
accessus & ingressus ad illam, vel illud ipsi Clerico,
vel Cardinali, aut alii exempto, sit, fueritve con-
cessus. Postremo si quis crimine aliquo absolutus,
aut cum quo super irregularitate dispensatum est,
denudò receperit quacunque auctoritate Ecclesiam,
Monasterium, vel aliud Beneficium Ecclesiasticum,
quod ante, vel post commissum delictum, aut con-
tractam irregularitatem dimiserit, in quovis horum
casuum Confidentiae pravitas sit contracta, casusque
hujusmodi litteris praedictis comprehendentur, ac
si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum Confi-
dentiae crimen alterius tantum partis conscientiae
sit admittum. Ad probandum verò plene Confi-
dentiarum abusum, inter alias etiam haec praesump-
tiones & conjecturae habeantur legitimae, videlicet
si quis post cessam a se Ecclesiam, vel Monasterium
aut Beneficium, & publicatam resignationem, seu
cessionem, captamque a Successore possessionem, seu
in illa, vel illo, seu rebus illius, per se, vel alium,
seu alios de facto se ingesserit, aut fructus perceperit,
aut quicumque successor illi, vel ejus propinquus
ipso, aut partem aliquam remiserit eorundem.
Si recipiens Beneficium constituerit dimittentem,
vel ejus parentes, aut propinquos Procuratores ad
percipiendum vel locandum fructus Beneficii dimissi,
& illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipi-
endis donationem fecerit. Si vel sola Procuratoris
depositione, vel libris rationalibus mensurarum ex
parte dimittentis expeditio, quae personam recipi-
entis concernit, profecta sit, simulque expensae pro
ea necessariae ab illo factae fuerint. Denique si quis
pro concessione alicui facta, quacunque auctoritate
de Beneficio Ecclesiastico per se, vel alium, seu alios
intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese
immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fru-
ctibus Beneficii de facto etiam per manus possessori-
s, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit,
seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris
fuerit dispositum quodocunque. Testes autem de

quaque

quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones, & conjecturas, pluresque hujusmodi præsumptiones & conjecturæ plenam faciant probationem in prædictis. Cæterum criminosi, & cæteri omnes, qui ad perhibendum in casibus Simoniacæ testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admittentur. Sed ne quisquam etiam vanâ fiducia fretus non intendendi contra se iudicii in crimine perseveret, utque hoc malum gravioris censura stimulo usquequaque prohibeatur, omnes, & singulos, qui hucusque Ecclesias, Monasteria, Beneficia, fructus, pensiones, alias res, intercedente hoc confidentiâ vitio, receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reversi, & respicientes celeri dimissione sibi prospexerint, & qui quid tale admiserint in futurum etiam omnibus, & singulis aliis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Administrationibus, Officiis & Beneficiis obtentis, quæ pariter sub dicta reservatione comprehendi volumus, nec non fructibus, & pensionibus, & aliis rebus Ecclesiasticis, ac etiam R. Lic. & aliis Officiis temporalibus præsentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles declaramus, & in iuris subdium excommunicationis sententiâ innodamus, à qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim advocacione causarum hujusmodi, & reservatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, Nobis, & prædictis Successoribus, ut prædictum est, facta, causis illis dumtaxat exceptis, quæ jam coram nobis pendere noscuntur, ac etiam iis, quas ratione Ecclesiarum, & Monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio fieri consuevit, aut debet, itemque contra ordinarios Collatores, Episcopos, & alios Superiores Prælatos, etiam Cardinales haberi contigerit, ut jam aliis nostris statutum est, audiendis, decidendis, & terminandis, harum serie prorsus relaxata decernimus, ita deinceps quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & ipsorum cuicumque quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate ubique iudicare, interpretari, & definire debere, nec non irritum, & inane, quidquid secus in prædictis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca omnibus locorum Ordinariis districtius injungimus, ut in suis quisque Ecclesiis, Civitatibus, Diocesis, & locis, etiam exemptis, ad prædicta studiosè attendant, & quatenus illis non relaxavimus, in delinquentes severe animadvertant, si divinæ Majestatis iudicium, dictæque Sedis Censuram voluerint evitare. In cæteris vero causis, & negotiis Nobis & prædictis Successoribus exceptis, eosdem locorum Ordinarios præsentium auctoritate delegamus, ut gratiâ, & favore postpositis, pro se quisque, cum venerit usus, contra prædictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirent, suoque inquisitiones omnes sigillo obsegnatas ad prædictam Sedem quam primùm transferant, ut Nos, & prædicti Successores in causis hujusmodi procedentes, quòd justum fuerit, decernamus. Nos enim singulis Ordinariis ipsis, prædictos omnes, & quoscumque alios, etiam exemptos, etiam per edictum publicum, constituto prius summarè, & extrajudicialiter de non tuto ad illos recessu, citandi, & monendi, eisque, ac Iudicibus ordinariis, & delegatis, aliisque personis quibuscumque, ne prædictorum executionem quoquomodo impediunt, vel aliâs in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eosdemque, ac alios Contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & penas Ecclesiasticas, ac omnia alia juris, & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii secularis, quandocumque opus fuerit, invocandi, cæteraque in prædictis omnibus singulis necessaria faciendi & exequendi, plenam & liberam, tenore præsentium, concedimus facultatem. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi Prædecessoris no-

stri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis constitutionibus & ordinationibus, & quod Episcopis collatoribus, & Prælatibus prædictis, etiam Cardinalibus, vel quibusvis aliis communiter & divisim à prædicta sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quòd interdicti, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta hujusmodi ad iudicium trahi non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis, generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus, non expressa, aut in totum inserta, effectus præsentium, aut attributæ prædictis Ordinariis jurisdictionis explicatio, seu exercitium, vel executio, impediri valeat quomodocumque, vel differri, & de quibus quorumcumque tibi tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, cæterisque contrariis quibuscumque, litteris Prædecessoris hujusmodi nihilominus in suo robore duraturis. Volumus autem, ut præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarii publici manu, & cujuscumque Curie Ecclesiasticæ, ejusve Prælati sigillo obsegnata, eandem illam prorsus fidem in iudicio, & extra ubique locorum faciant, quàm ipsæ præsentibus facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ privationis, statuti, decreti, innodationis, injunctionis, delegationis, concessionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Kal. Junii, Pontificatus nostri, anno quarto.

Cæ. Glorierius, H. Cumyn.

Anno à nativitate Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Indictione duodecima, die vero Sabbati sexto Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini PII divina providentiâ Papæ Quinti, anno quarto, retroscriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, & Principis Apostolorum de urbe, Cancellariæ, & in acie Campi Floræ, ut moris est, dimissis in omnibus supradictis locis eandem retroscriptarum litterarum copiis affixis, per Nos Julium Parinum, & Joannem Andream Panizzam, prædicti Sanctissimi Domini nostri Pii Papæ Quinti Cursores.

Christianus de Monte, Magister Cursor.

Perentibus Philippo II. Hispaniarum Rege, Cornelio Jansenio Episcopo Gandavensi, & Viglio Præposito, novam Præposituram erigit in Ecclesia Gandavensi: an. 1570.

IX.
Ex Op.
Dipl. Mi-
raei Tom. 2.
pag. 1105.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Eccliesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium statui, & directioni sollicitis studiis intendentes, ad illa libenter desectimus, per quæ ipsarum Ecclesiarum decori, & venustati salubriter consulitur, & in eis divinus cultus suscipit incrementum.

Sanè Charissimus in Christo Filius noster Philippus, Hispaniarum Rex Catholicus, qui etiam Flandriæ Comes existit, tam suo, quàm Venerabilis Fratris Cornelii Episcopi Gandavensis, & dilecti Filii nostri Viglii à Zuychem, Præpositi Ecclesiæ Gandavensis Notarii nostri, nominibus nuper exponi fecit, quòd aliàs Cornelius Episcopus,

& qui Cancellarius Ordinis Velleris Aurei, nec non Confiliarius Status, & primarius Præses Secreti Consilii dicti *Philippi* Regis existit, & *Viglius*, prædicti, visis, & diligenter discussis per eos litteris felicis recordationis *Pauli Tertii*, & *Pauli Quarti*, ac *Pii etiam Quarti Romanorum Pontificum* Prædecessorum nostrorum, tam reductionis Ecclesiæ *Sancti Bavonis Gandavenensis* ex Regulari in Collegiatam, quam etiam illius erectionis in Cathedralium Ecclesiæ, cum illius dotatione è Bonis, & fructibus Præposituræ ejusdem Ecclesiæ, quam dictus *Viglius* obtinet, post decessum tamen ipsius *Viglii* defumenda, visum eis fuit, ut pro decore dictæ Ecclesiæ, ac memoria pristinæ Dignitatis, ac juxta aliarum Cathedralium Ecclesiarum in præsentibus consuetudinem dictæ Præposituræ titulus, & dignitas post dicti *Viglii* decessum retineatur, eademque Præpositura, cum primùm per obitum *Viglii* hujusmodi vacaverit, alicui ex Canonicis ipsius Ecclesiæ cum duarum Præbendarum proventibus conferatur, præsertim cum alia Bona ipsius Præposituræ aliunde pro dote dictæ Ecclesiæ sustentura sint; Et propterea inter alia sub beneplacito nostro ad certorum articulorum conceptum devenerunt sub ejusmodi tenore.

Videlicet visâ Bullâ dotationis Episcopatus *Gandavenensis*, nonnulla occurrunt non satis animadvertenda, & quæ meritò emendationem, si Apostolicæ Sedi suggerantur, accipere possent; Nam quantum ad eam partem attinet, quæ ex decem affectis Canonicatibus, & Præbendis Ecclesiæ *divi Bavonis*, unum, & unam Episcopo tribuunt, ratione quorum Capitularis esset, itaque locum, & vocem super Decanum, & reliquos Canonicos Confratres suos, etiam in Capitulo habiturus esset, certum est, Sanctissimum Dominum nostrum felicis recordationis *Pium Quartum*, & Deputatos in præfata Bulla memoratos, ignorasse, Abbati, sive Præposito Ecclesiæ *divi Bavonis* ex Regulari, & *Monachali in Sæcularem*, & Collegiatam assignatas fuisse quatuor Præbendas, quarum ratione Præpositus Capitularis esset, ac duas voces haberet, alioquin esset absurdum, quòd supra quatuor Episcopus quintum Canonicatum, & Præbendam consequeretur, præsertim cum bene dorum habiturus sit Episcopatum. Itaque, salvo majori Judicio, videtur rationi & æquitati magis congruum, si loco decem Canonicatum, & Præbendarum, novem tantum Graduatibus afficerentur; Episcopus ex quatuor in prima erectione Abbati, sive Præposito assignatis, duas Præbendas post moderni decessum Præpositi obtineat, quarum vigore Canonicus Capitularis esset, & vocem super Decanum, & reliquos Canonicos haberet.

Deinde videtur omninò consultum, ut Præpositi dignitas pro temporalium conservatione, quemadmodum in plerisque aliis Cathedralibus Ecclesiis, atque etiam ante dictam erectionem in Abbatia *Sancti Bavonis* usitatum fuit, maneat, eaque post Pontificalem major habeatur, ad quam aliquis de gremio Capituli, & qualificatus à regia Majestate, retentâ Præbendâ sive affectâ, sive non, quam antea habuit, pro sustinenda dictâ dignitate nominaretur, sed prædicta dignitas in primævo suo honore quodammodo conservaretur: nihil tamen Præpositus administraret, nisi ab Episcopo jussus, & requisitus, neque Jus aliquod prætendat in Jurisdictione, vel Bonis, ac Collatione Beneficiorum, ac Officiorum moderno Præposito competentibus, quæ post ejus decessum dicto Episcopo, & Successoribus suis cedant.

Et quoniam Episcopus *Gandavenensis*, juxta Bullam sui Episcopatus Canonicatum, & Præbendam jam consequutus sit, ac eorum ratione jam Capitularis effectus, æquitas exigit, ut cum plenam dotem sui Episcopatus, quæ cæteris luculentior

futura est, assequutus fuerit, quæ duas è quatuor in prima erectione Præposito assignatas Præbendas complectetur, dictos Canonicatus, & Præbendam illicò dimittat alicui ex novem Graduatibus, ad Canonicatus dictæ Ecclesiæ assumendis, & aliâs, prout in Instrumento desuper confecto plenius continetur.

Quare idem *Philippus* Rex nominibus prædictis nobis humiliter supplicari fecit, ut super his opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui Ecclesiarum decorem, & honorem, ac divini Cultus, personarumque Ecclesiasticarum augmentum summis desideramus affectibus, prædictos *Philippum* Regem, & *Cornelium* Episcopum, ac *Viglium* à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac conceptum hujusmodi in prædictis articulis gratiosè admittentes, ac ratum, & gratum habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, illum, ac singulos Articulos prædictos, omniaque, & singula, quæ eos concernunt, licita tamen, & honesta, ex nunc si sint, alioquin ex tunc, prout ex nunc, & è contra, postquam fuerint sortita effectum, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inconculsæ firmitatis robur adjicimus, ac ac omnibus inviolabiliter observari debere volumus, & ad hoc, ut suum debitum fortiantur, & fortiri debeant effectum, desuper statuimus, ordinamus, & decernimus in omnibus, & per omnia, juxta dictorum Articulorum tenorem; ac ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Ecclesiæ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, admissionis, rati, ac grati habitiois, approbationis, confirmationis, adjectionis, supplementationis, statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ *MDLXX*. septimo Idus Septembris, Pontificatus nostri anno quinto.

Prohibitio erigendi Confessionales ad publicandas Indulgentias quæstuaras: anno 1570.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QUAM plenum sit periculi noxia populis ingere, nimium his temporibus afflictâ religio testatur: quod malum cum in cæteris Ministris, tum præcipuè in Ecclesiarum Prælatibus animadvertendum est, quòd ab his temere profecta longè maxima Ecclesiæ Dei conferant detrimenta. Rem fanè indignam audivimus, quòd non solum quondam *Gometius Tello Giron* temporarius administrator Ecclesiæ *Toletanæ*, sed etiam quidam *Hispaniæ Ecclesiarum Præsules* officii paterni prætextu, facultates sibi à Sacris canonibus concessas excedentes, litteras suas in ipsorum Civitatibus ac Diocesisibus ausi sunt publicare, quibus inter cætera peri-

culosa

culosa deprehenditur, quod cuiusque illas accipienti certâ solutâ pecuniâ licitum sit, quem voluerit sibi sumere Sacerdotem, qui confessione audita ipsum absolvere valeat, non in eis tantum casibus, in quibus simplex Sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis quæ solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo præterea casu admixto, veluti Simonia reatu, qui ad examen huius Sanctæ Sedis esset referendus. Non animadvertentes ipsi Præsules & Administratores, quam periculosum sit, ea passim in certis personis committere, quæ ad Episcoporum iudicium arbitriumque idcirco deferuntur, ut qui melius lepram à lepra discernere norint, causis & circumstantiis subtili indagine exploratis, salutaria cuique morbo remedia valeant adhibere. Ad hæc ipsi in dispensandis cœlestis gratiæ donis nimium prodigi, iis sic litteras prædictas accipientibus, indulgentias, & pœnitentiarum injunctarum remissiones, nulla cum re temporali conferendas, profusius & indiscretè largiuntur: quibus, & aliis licentiis prædictis non pauci fluctuantes & infirmæ veniæ facilitate inducti, ad peccandum procliviores fiunt, quando tot & tantorum delictorum remissionem certo & vilissimo pretio acquirere posse confidunt. Indicem præterea casuum & indulgentiarum ædibus sacris appendi iusserunt, quo palam significatur solventibus supra scripta concedi, & inter alia absolvendi facultatem ab usu prohibitorum tribui, itemque indulgeri Missæ sacrificium, & sepulturam tempore interdicti, assumptionem duorum, plurimve Compatrium ad sacrum Baptisma, præter eos, qui Synodalibus, ut dicunt, constitutionibus asciscuntur, reparationem Ecclesiarum, erectionem Confraternitatum, & alias pias causas prætexendo.

§. 1. Cum igitur inter cætera scandala, etiam Simonia pravitas redoleat, ex prædictis Sacri Tridentini Concilii decretis, & aliis Sanctionibus Canonice, nostræ præterea Constitutioni de indulgentiis ad quæstum non emittendis, adversetur, clavium auctoritas evilescat, & pœnitentiæ satisfactio enervetur; Nos his malis celeri remedio occurrendum, eademque opera futuris præcavendum fore censentes, de Apostolicæ potestatis plenitudine supra dicta omnia, quæ in ipsa Toletana, & quibuscumque aliis Civitatibus, Diocæsis, & locis, tam Hispaniæ quam aliarum quarumcumque Provinciarum & Regionum quocunque prætextu hucusque emanarunt, perpetuò abolemus, ac nulla & irrita nunciamus, jubemusque litteras, & indices, nec non scripturas, & monumenta quæcumque, publica & privata, per ipsos Locorum Ordinarios, & alios Ecclesiarum Rectores, ubicunque reperiantur, dilacerari, penitusque deleri. Et ne talia de cætero à quoquam fiant, publicentur, vel concedantur, districtè prohibemus.

§. 2. Quicumque secus egerint, seu attentaverint, Antifites, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, ab ingressu, & perceptione fructuum suarum Ecclesiarum tandiù suspensi jaceant, donec satisfactione præviâ illis per Sedem prædictam suspensio relaxetur. Inferiores verò ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrant, à qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes etiam irritum & inane, quicquid secus per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium exempla, etiam impressa, Notarii publici manu, & Prælati Ecclesiastici sigillo ob signata, eandem illam prorsus fidem in iudicio & extra illud ubique locorum faciant, quam ipsæmet præsentēs facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

§. 4. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, nunciationis, iustionis, prohibitionis, decreti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit, indi-

gnationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo, 4. Non. Januarii, Pontificatus nostri, anno quarto.

Anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, Indictione decima tertia, die vero vigesima tertia Mensis Januarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Pii, divina providentia Papæ V. anno quarto, retrospectæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt, ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, dimissis in supradictis locis præsentibus Litteris per aliquantum temporis spacium affixis, & deinde amittis, per me Julium Parinum, Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursorem.

Jo. Guerardi, Mag. Curf.

Prohibet, Concilii Tridentini Vestigiis inhærens, Regularibus cujuscunque Ordinis Sæcularium Confessiones audire sine præcedenti Episcopi examine: anno 1571.

PIUS EPISCOPUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis providentia circumspècta, nonnunquam gesta per eum, rationabilibus, & honestis suadentibus causis, moderatur, & commutat in melius, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

XI.
Ex Mem.
du Clerge
de France.
Tom. I.
pag. 968.

§. 1. Nuper siquidem quasdam declarationes & moderationes circa nonnulla Concilii Tridentini decreta Regulares personas Ordinum Mendicantium, eorumque instituta concernentia edidimus, & promulgavimus: Et quia uti accepimus illarum vigore Sacerdotes Regulares prædictorum Ordinum quandoque minus idonei, & inhabiles confessionibus Sæcularium audiendis ab eorum Superioribus præpositi, absque aliqua Episcoporum, sed sola Magistris Ordinis Generalis, aut Provincialium ministrorum approbatione admittuntur.

§. 2. Nos super his pro debito pastoralis officii, prout tenemur, salubriter providere volentes, tenore præsentium hac nostra constitutione perpetua sancimus, decernimus, & declaramus. Decretum Concilii Tridentini de approbatione Regularium audiendis confessionibus Sæcularium præpositorum ab Episcopis faciendâ, observari debere etiam in omnibus Regularibus, quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam sub regulari disciplina viventibus, etiam si sint Lectores, aut in Theologia, etiam de Superiorum suorum Licentiâ, Graduati, vel promoti, vel à suis Magistris Generalibus, vel Provincialibus Ministris, Sæcularium confessionibus audiendis præpositi. Volumus tamen, eos qui semel ab Episcopo in Civitate & Diocæsis suis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari. Ab Episcopo autem Successore pro majori conscientiæ suæ quiete examinari de novo poterunt.

§. 3. Inhibentes quibuscumque Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ut præfertur, ne vigore deputationis, & approbationis ab eisdem Magistris, & Ministris Provincialibus, etiam quòd illarum occasione ab Ordinariis hucusque tolerati fuerint, absque speciali in posterum licentiâ, & approbatione ab Ordinariis obtinenda, Sæcularium confessiones audire præsumant. Decernentes irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac nostris Litteris prædictis, & aliis postea quibuscumque Regularibus con-

cessis, & forsan extensis, quas quoad ea quæ præsentibus adversantur & contrariantur, penitus & omnino revocamus, cassamus, & irritamus, nec non Monasteriorum, & aliorum Regularium Locorum, ac Ordinum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliis nuncupatis, quibusvis Monasteriis, Regularibus Locis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus & aliis decretis, etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis: quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso & formâ in illis tradita observata inferri forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, contrariis quibuscunque.

§. 5. Ut autem præsentibus Litteræ ad omnium quorum interest notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam prætere, aut contra eas se excusare valeat, dicta auctoritate statuimus & decernimus, ut ipsæmet litteræ, vel earum transumptum in Basilica Principis Apostolorum de Urbe, Sancti Joannis Lateranensis, ac Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ per aliquos ex Curforibus nostris publicentur, earum exemplo in singulis valvis & acie prædictis affixo, & dimisso.

§. 6. Verum quia difficile foret præsentibus litteras ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda est, deferri volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod earundem litterarum transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in judicio, & extra illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostense.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, octavo Id. Augusti, Pontificatus nostri, anno sexto.

Anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo; Indictione decima quarta, die vero vigesima secunda Mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini PII, divinâ providentiâ Papæ V. anno ejus sexto, retroscriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt in locis retroscriptis, per nos Joannem Gerardum & Alamanum de Alamanis Cursores.

Philibertus Chappuis, Mag. Curf.

GREGORIUS DECIMUS TERTIUS.

PONTIFEX CCXXX.
ANNO DOMINI MDLXXII.

Gregorius Bononiensis, prius Hugo Boncompagni, anno 1572. Pio V. successit. Hic Kalendarium variis erroribus obnoxium, ac labentem Festorum rationem juxta Veterem Nicænæ Synodi rationem restituit, demtis è Mense Octobri anni 1582. decem diebus, & æquinoctio verno deinceps vigesimo primo Martii assignato, Epactisque ad Lunæ mu-

tationes designandas, in aurei numeri locum substitutis, editis ea de re regulis perpetuo duraturis. obiit anno 1585. (*Magni Bullarii Romani hujus Editionis Luxemb. 1727. Tom. II. fol. 387. App.*)

Breve ad Philippum II. Regem Hispaniarum, quo ei facultatem largitur creandi novos Equites Ordinis Aurei Velleris extra Capitulum seu Comitiam Ordinis: anno 1572.

GREGORIUS PAPA XIII.

Carissime in Christo Fili noster, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Exponi nobis nuper fecisti, quod ad præsens vacant plura Loca & Officia Ordinis seu Societatis Velleris Aurei, *Del Toson*, vulgò nuncupati, & dubiras de Locis & Officiis hujusmodi extra Capitulum dicti Ordinis disponere seu providere posse.

Ad omnem igitur dubitandi materiam tollendam, tuis in hac parte supplicationibus inclinati. Tibi, ut hac vice de Locis & Officiis hujusmodi extra dictum Capitulum, quatenus id aliter facere nequeas, ad tui beneplacitum disponas, disponendi licentiam & facultatem, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium concedimus.

Non obstantibus dicti Ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, etiam si in illis caveatur expressè, quod illa Officia extra dictum Capitulum conferri non possent, & aliter factæ collationes & provisiones nullæ essent, Privilegiis quoque, Indultis & Litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis & innovatis (quibus omnibus, eorum tenores in præsentibus pro expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus) ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV. Octobris, anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Pontificatus nostri, anno sexto.

Reducit ad Normam Juris Communis, & Concilii Tridentini omnia privilegia Regularibus à Pio V. concessa: an. 1573.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

In tanta rerum, & negotiorum mole, qua Romanus Pontifex ex omnibus mundi partibus ac fidè premitur, vix vitari potest, ne aliqua interdum exiliant, quibus postea recognitis necesse est moderationis remedium adhibere.

§. 1. Cum itaque aliis fel. rec. Pius Papa V. Prædecessor noster, auditis gravaminibus, quæ Fratribus Ordinum Mendicantium ab Ordinariis locorum, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, multis modis inferri dicebantur, super sacris concionibus, & lectionibus habendis, confessionibus audientibus, penitentibus injungendis, Fratribus ad Ordines promovendis, celebratione Missarum, cura animarum, Sacramentorum ministracione, sepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemosynis, collectionibus, aliisque hujusmodi juribus, nec non decimis, & diversis oneribus, ac etiam super statu & regimine Sanctimonialium ipsi Fratribus subiectarum formatione processuum, censurarum publicatione, processionibus, præcedentiâ, locorum acquisitione, certisque aliis rebus tunc expressis, multa per quasdam suas litteras pro dictis Fratribus non modo statuerit, sed & quæ jam in Concilio Tridentino decreta fuerant ad hæc pertinentia declaraverit, multaque præterea privilegia eisdem decimo septimo Calend. Junii, Pontificatus sui, anno secundo:

§. 2. Et